

FACULTE DE MEDECINE DE PARIS

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimo mensis Januarii anni M. DCC. XXXVI.

M. JACOBO-ALBERTO HAZON, Doctore Medico, Præside.

An uteri inflammationi post partum, venæ sectio è brachio?

I.



UT partus succedat feliciter, plurima requiruntur, 1°. Ut fiat tempore legitimo, absoluto nempè à conceptionis die mense ad minus septimo, alioquin partus, jam non partus, abortum saperet provocatum causâ non naturali. 2°. Adsit partium, corporis muliebris apta conformatio, ossium præcipuè quæ pelvim in infimo ventre constituunt justa comparatio : non enim ab utero, non à membranis, non à fœtu repetenda plerumque partûs difficultas, sed ab angustiâ pelvis : pelvis angustiam repete ab osse sacro, & osse pubis ; ab osse sacro, si nimium intra deflectat ; ab osse pubis, si non satis extra promineat, sitque nimium intùs compressum : hæc duo ossa sic nimium vicina, sunt veluti duo admoti parietes, efficiunt cingulum respectu uteri orificii, supereminet enim ipsum uteri corpus, exilientique fœtui repagulum : hinc & inde in conformatione defectus, hinc & inde vix ullâ arte superandus obex. 3°. Sit mulier boni habitûs,

non acuto laceffita morbo, chronico-ve nimium debilitata; verteret in matris perniciem partus omnium morborum morbus acutiffimus. 4°. Sint conftantes matris vires tempore & loco attemperatæ. Dolores fint legitimi, non nothi: ex lumbis incipientes, continuò procedant deorfum ad anteriora, ut loqui amat gens obftetricans, verfus regionem pubis & coxendicum: illi fint vegeti, preffi & continui; hi dolores adhibentur cum ufurâ virium; diaphragma, mufculos abdominales, uterique fibras in actum proritari indicant, inftareque partum certò denuntiant: nothi verò faciunt virium jacturam, nectunt parturienti moras, obftetricanti dubium injiciunt, mentiunturque incautis dolores, vel colicos, vel nephriticos. 5°. Sefe habeant omnia quantum volueris feliciter, defideratur aliquando rectus uteri fitus, maximè circa ultima geftationis tempora. Illuftriffimus Deventer * uteri fundum anteriùs vel pofteriùs ad lævam vel dextram prolabi demonftrat; uterus jam, non ut ante, fuis continetur ligamentis, nec mirum, non omni ex parte æqualiter extenditur, folus uteri fundus crefcit, & crefcendo affurgit, * ita, quæ uteri partem fuperiorem occupabant ligamenta, infimam tantùm amplectuntur verfùs ultima graviditatis tempora: fic uteri fundi ampliata moles ferè omnino libera & ab omni foluta vinculo, pondere alioquin gemens infueto, nutat ut plurimum. Hanc in genere doctrinam fenfit Hippocrates & plurimis locis prælibavit. * 6°. Aquarum eruptione lubricato itinere, ut autem tempore fuo erumpant aquæ, membranæ nec teneriores nec firmiores debent effe, fœtus liberiorem ambiens auram, mutuam præbere debet operam, ut nifu & renixu fefe expediat à vinculis; ad id neceffum eft ut robore polleat non mediocri, in fitu difponatur convenienti, molemque non referat exituriens hofpes limine grandiorem. 7°. Fœtu in lucem edito, venit liberanda mulier placentæ membranarumque farcinâ, everrenda eft concreti fanguinis, muci, humorum-ve faburra: uteri cavitatem integrè non vacuare piaculum: in ipfius capacitate relictâ vel minimâ placentæ, concreti fanguinis, membranarum-ve portiunculâ, non ftringit fe undique uterus, aperta manent vaforum oftia, pleno fluit alveo purpureus latex non-nifi cum vitâ exhauriendus. 8°. Uteri vafis imbibita dudum fanguinis copia, perque totum ferè geftationis decurfum retardatus fanguinis effluxus per nota viarum, propter altas quas egit utero placenta radices, immo quafi fufflaminatus à longo fanguinis impetus, rupto tandem obice fugit per aperta vaforum oftia: hæc evacuatio lochiorum infignita nomine peragitur bonis ominibus; huic exeunti falutiferè moras injicere fit relligio: quot inde nata malorum agmina! Lochiorum datâ occafione, quæris forfitan undè diftinguantur Lochiorum effluxus boni & laudabiles, à pravis & mali moris. Hæc quæftio eò reducitur ad illorum quantitatem & qualitatem: quantitate fint moderata femper habitâ ratione temperamenti: primis duntaxat à partu diebus purpureum fervent colorem, hos ultra fi perfeverent colore tingi intenfè rubro, jam arguunt fluxum immodicum, vaforumque diuturniorem hiatum, aut incidit fufpicio concreti fanguinis grumi, alteriufve corporis quantumvis exigui intra uteri cavitatem latitantis, adhærentifve pertinacius. Lochiorum computa paucitatem ex fymptomatis, ex illis enim folis penfanda illorum in evacuando avaritia. Quod pertinet ad qualitatem, fenfim pallido rubræ tranfeant ad albedinem; fic cognofces fibi reftitutum fibrarum uteri elaterem, diminutum vaforum diametrum, fic brevi fibi fimilem facturum uterum pronuntiabis. Confiftentiæ fint tenuis & æqualis, odoris expertes, acredinis fenfu immunes, ut pateat, nec iniquo halitu infici purpurei laticis fontes, putredine inflammationeve nec corripi, nec tentari minimum uteri fubftantiam.

* Henricus à Devent. ars obftetric. cap. 9, 10, 11.

* Id. ibidem cap. 9.

* Lib. de nat. muliеb. Lib. 2. de morb. muliеb.

I I.

ISTA ne ad uteri inflammationem post partum conferunt? Ita prorsùs. Inde enim intelligere est quot, quanta, qualis momenti requirantur in partûs opere: inde noscere est partûs discrimina. Immò ut morbus nihil aliud est quàm functionum depravatus ordo; ex accuratâ functionum in statu naturali notitiâ, emergit facilior & plenior earumdem in morbosâ diathesi læsionis cognitio. Resumenda igitur est genuina inflammationis uteri post partum æthiologia, à totidem quæ requiruntur conditionibus felicem ut habeat partus exitum. Sed ante definiendum est quid sit inflammatio vel phlegmone in genere, veniet inde facilior uteri inflammationis post partum notitia. Quamquam morbus inflammationis, ut plerique alii, primo Medici acutè cernentis innotescit intuitu, suisque se signis profert facilius, quàm verbis potest explanari. Phlegmone est affluxus humoris in partem cum tensione & dolore. Hujus ut diversi gradus, sic diversæ sunt species, has recensere supervacaneum. Quidquid igitur affluxum humoris in partem evocabit cum tensione & dolore, accerset inflammationem. Quidquid pariter alliciet in uterum hunc contra naturam affluxum, uteri pariet inflammationem: atqui plurima sunt, & quidem majora numero, quæ hoc genus inferunt ægritudinis post partum: ea scilicet quæ uteri fibras vellicant diutiùs, pungunt acriùs, distorquent immaniùs, dirisve modis discruciant, vel quæ post partum solitos naturæ motus in evacuando præpediunt. Hos producunt affectus in pariendo difficultas summa, labores violenti & diuturni, partus contra naturam, contrectatio obstetricis importuna, violentior placentæ tenacioris evulsio, molliorisve & malè cohærentis iterata detractio, ictus vel casus in regionem uteri post partum, graviora animi pathemata, ira, metus, tristitia, pavor, Lochiorum præsertim suppressio, Phlegmonis uteri vel causa primaria, vel comes individua, strictior fasciarum circumvolutio, aëris frigidioris intùs admissio, medicamenta calidiora, acria, fortiora emmenagoga, fœtus & secundinas pellentia, specifica, ut aiunt, quæ sanguinem exagitant, incendunt, protrudunt sanguinis globulos ultra vasa non sua in canales minoris diametri, undè tensio, dolor, temperamentum denique sanguineo vel bilioso plethoricum.

Miraris uterum tot obnoxium calamitatibus, ita pronum ad phlogosim? ne mireris; favet ipsa structura partium, ipsam incusa. Licet enim ad usus genitabiles sit apprimè accommodata, licet partes generationis fuerint ædificatæ firmo æque ac sublimi artificio, & ad opus suum concinnè; ex quo tamen homo totus est à naturâ morbus, tam firma, tam elegans partium symmetria vertitur ipsa in ruinam sui, maximè in partûs opere, quod sic probare licet. Diximus partium inflammationem oriri ab humorum affluxu & derivatione à majoribus vasis in minima cum tensione & dolore; ostendimus uterum hunc contra naturam affluxum posse suscipere, causasque enarravimus: dabis mihi nullam corporis partem liquorum contra naturam affluxu suscipiendo debere magis esse idoneam, quàm ea quæ in statu naturali abundantioribus irroratur liquorum succis, quàm ea quæ est ampliori instructa vasorum omnis generis suppellectile, nervorumve gaudet ditiori apparatu; atqui sic se res habet in utero maximè post partum, quod demonstrandum superest.

Immensa sanè vasorum seges quæ pullulat in abdominis visceribus: hujus partem vindicat sibi maximam uterus. Singula abdominis viscera accipiunt, ut plurimùm, unicum arteriæ ramum, majorem vel minorem habitâ ratione mo-

lis & functionis : uterus, etiam ante partum, quantumvis exiguus, affectat sibi quatuor insignes arteriarum rivos, arterias duas spermaticas, iliacas totidem aortæ descendentis soboles : nec satis est, mutuatur à viscerum latè viciniâ vasorum propagines. Vasa hæc innumera augescente utero, ut extendi facilè valeant, immò majorem ut contineant sanguinis copiam, non recto tramite uterum ingrediuntur, non sunt in longum protensa, sed innumeris sibi invicem contorta modis serpentino gressu totam uteri perreptant substantiam. Venarum alvei, ne fiat sanguinis circuitus celerior, immò purpureum laticem ut asservent diutiùs, ut aggerant copiosiùs, suis orbantur valvulis, ascendentem remeant viam gyris & anfractibus asperam : ut difficilis liquorum reditus, sic facilis illorum appulsus ad uterum, favet uteri situs, favet perpendicularis vasorum descensus ; nec desideres liquorum fontes uberrimos ; cogita perspirationis defectum, aspice aortæ descendentis truncum multò capaciorem in fœminis quàm in viris : crescente fœtu, crescit uteri moles nec minuitur illius crassities, * quæ latebat priùs per uteri substantiam diffusa numerosa vasorum familia, jugi sanguinis accessione dilatatur sensim, ampliatur magis ac magis ; instante partûs tempore, vasa fiunt ampli & conspicui vasorum sinus, innumeris undique sese osculantes anastomosibus totam occupant uteri substantiam, jamque est uterus vasorum reti simillimus. Mitto nervorum insignem apparatum, nervus utrimque intercostalis se dat utero totus, huic se jungunt comites nervi à sacris & lumbaribus. De membranis nihil addam, Peritoneo sese subjicit uterus...... jam verò parti ita membranosæ, ita vasculosæ, ita nervosæ, accedat causa maximè irritans : vasa sangnine fœta & ruptioni proxima, cohibito Lochiorum effluxu, inimicâ non depleantur liquorum redundantiâ ; & erit locus inflammationi omnium maximæ. Porro multæ sunt inflammationis uteri post partum causæ, ipsamet structura partium uterum inflammationi pronum comprobat, signa describere monet rerum ordo.

* *Henricus à Deventer cap. 8. 9.*

III.

MORBORUM signa describere, id quidem pendet ab observatione. In observando, morborumve delineando ad vivum expressas imagines, cæteris palmam præripit Medicorum antiquitas, Medicorumque Princeps Hippocrates. *Si ex partu*, inquit, * *uteri inflammationem conceperint, febris levis corpus detinet, & oculorum caligo adest. Ventrem verò incendium nunquam deserit, fili & coxendicum dolore vexatur, imus venter vehementer intumescit, & alvus turbatur, dejectio mala est & graveolens, vehemens febris invadit, cibi fastidium detinet, & ad sinciput dolor pertingit, neque ventriculi stomachus potus & cibos attrahere neque etiam coquere : ac nisi confestim curentur plurimæ intereunt.* Aliàs sic legere est *. *Si inflammationem senserit uterus, contrahitur, quod si quid corruptum fuerit, & recruduerit, febris acuta & magna, horrorque detinet, partes circa pudenda duræ sunt, stupendum in modum afficitur, mordetur, & impetu fertur. Ac si quis immisso digito contrectet rursus pejus habet & mordetur, caput & sinciput dolore afficitur, caligo & frontis sudor adest, extrema perfrigerantur & tremunt, interdum sopor occupat, audire non solet, multum est cibi fastidium, neque stomachus, neque ventriculus omninò cibum attrahit, vociferatur, cum impetu prosilit, dolor est ad pubem, inguina, lumbos, & occulta muliebris pudendi loca, celeriterque moriuntur.*

* *Hipp. Lib. 1. de morb. mulierum Sect. 5.*

* *Lib. 2. de morb. mulierum Sect. 5.*

Cum verò Lochiorum suppressio inflammationem uteri post partum aut semper comitetur, aut producat aliquando, quid importet periculi quæve in-

ferat ſymptomata, referre non erit alienum. Sic habet divinus Senex *. *Niſi à partûs purgamentis mulier repurgetur, magno morbo tentabitur, vitaque periculum incurret, niſi quis celeri adhibita curatione convenientem purgationem promoveat.* Et aliàs.* *Si modica purgatio mulieri procedat, vehemens dolor lumbos occupat, omneſque partes pudenda complectentes & caput intumeſcunt, femoraque incenduntur, ex ore & naribus pituita valde aquoſa effluit, caput dolet, febris & horror detinet, intumeſcit, dentes fremunt, venter & veſica ei conſtringentur, oculos obvertit, & caliginoſa cernit..... quod ſi eam attigeris totum corpus dolet, præcipuè ſi quis ventrem attigerit, ſubindeque oris ventriculi morſu conflictatur, lumborum dolore vexatur, cibi faſtidium adeſt, vigilia & corporis compunctio.*

* Lib. 2 de natur. pueri Sect. IV.

* Lib. 1. de morb. mulier. Sect. V.

Præter generalia uteri inflammationis ſigna, habenda ratio eſt loci præciſè affecti: non enim ſemper totus uterus corripitur inflammatione, id rarò accidit, ſed phlegmone occupat ſæpius uteri collum, interdum partem uteri anticam, aliquandò poſticam, non numquam alterutrum latus; habet ſua ſigna quæque morbi ſedes. Si, quod ſæpius, phlegmone tentatur uteri cervix præter generalia ſigna, adeſt febris acuta de naturâ Lipyriæ, os uteri arctè clauſum eſt, intus retractum *, *multis tenuibus venulis veluti araneorum telis implicatur* *. Si magis afficitur pars uteri anterior, in partem mali venit veſica, propter viciniam levi corripitur inflammatione, undè urinæ difficultas & ſtillicidium *. Ad pubim denique perſentitur dolor. Laborat-ne magis pars poſtica? Propter nervorum conſenſum, vaſorumque communionem ſollicitatur rectum inteſtinum, coxæ dolent, & lumbi, & ſupprimitur alvus. Si in latere plus vitii eſt, adeſt tenſivus dolor ad inguina ejuſdem lateris, crus gravitate & ſtupore afficitur, difficilis eſt in latus ſanum decubitus, & quaſi procumbentis molis moleſta ſenſatio; propterque membranarum continuitatem ad claviculas uſque porrigitur vellicationis ſenſus: dolet præſertim capitis pars anterior ad fundum orbitæ, id pluribus locis annotat Hippocrates *; quod nec fortuitò accidere, nec temerè dictum exiſtimes: ſequere nervorum ſyſtema, nervus ſympthicus major vulgò intercoſtalis * projicit nervi ramuſculum nervo orbitali vel ophtalmico Williſii.

* Sennert. Lib. 4. cap 13.

* Lib. 2. de morb. mulierum.

* Hipp. Aphoriſm. 58. Sect. 5.

* Locis ſupra notatis & alibi.

Winſlow expoſ. anatom. Trait. des nerfs n°. 357.

Non una inflammationis ſpecies uterum fatigat poſt partum. Signa phlegmonis id eſt inflammationis à ſanguine vidimus modo, aſt ſi prædominetur in fœminâ temperamentum bilioſo-plethoricum, ſi laborum diuturnitate, dolorumve acerbitate excanduit bilis: humor naturâ acris, reſinoſus & inflammabilis, multò graviora ingruent ſymptomata, furit jam non phlegmone, ſed ereſypelas, dictum ab Hippocrate ignis ſacer: *Si ereſypelas uteros occupet* *, *pedes, mammæ, & corpus intumeſcunt, dolor ipſam detinet, erectæ cervicis ſpiratio contingit, ad laterum mollitudinem dolor eſt, ad ventris partem inferiorem pectus & caput, tremor & torpor manus detinet, inguina & poplites tremunt. Quandoque verò in inguinibus lividæ evadunt, & pauco tempore etiam allevat hic color. Præcipuè verò mammæ cognatione quâdam attolluntur. Verumtamen non admodum dolet, febris & rigor invadit, vultus rubet, ſitis vehemens urget & hepar reſiccatur..... Quandoque tempore* * *meliuſculè habere videtur, deinde rurſus iiſdem afficitur, corpus puſtulis refertum eſt.*

* Lib. 2. de mor. mulier. Sect. 5.

*. Lib. de nat. muliebr. Sect. 5.

Hæc ſufficiant de ſignis inflammationis uteri poſt partum, Therapeiam juvat attingere.

I V.

PRÆCIPUUM inflammationis remedium venæ ſectio celebrata in parte mali oppoſitâ. Inflammato utero, etiampoſt partum, nullum pariter præſentius remedium ſanguinis miſſione è brachio. Hanc præcipit inflammationis Theoria, comprobat Hippocratis autoritas, evincit in obſervando fida ſedulitas. Inflammatio oboritur ubi pars ſanguinis vi adigitur ultra vaſa non ſua in canales minoris diametri quàm ut illos permeare facile poſſit, undè tenſio, dolor pulſatiò & cætera id genus quæ phlogoſim comitantur. Celebratur venæ ſectio repetita pro ægri viribus in parte mali oppoſitâ, ſangnis evacuatur & revellitur à parte affectâ, & in his duobus tota ſita eſt curatio. Applicentur hæc inflammationi uteri poſt partum: ſi pars affecta phlogoſi, revulſionis beneficio mediante venæ ſectione indigeat umquam; Certè uterus, maximè poſt partum, inſtructus ut eſt nervis, membranis munitus, ut ſanguine tumet plethorico. Quin immò ut in fæminis quàm in viris multò ſalubrior, efficacior multò Saphænæ ſectio, reſpectu partium ſuperiorum, propter aortæ deſcendentis truncum multò capaciorem in fæminis quàm in viris, undè ſequitur ſanguinis revulſio à parte affectâ multò abundantior: ita in fæminis quam in viris nocentior multò eadem Saphænæ ſectio, ſi partes inferiores inflammatoriâ diatheſi laborent, propter multò ampliorem eâdem ratione ſanguinis derivationem in partes affectas in fæminis quàm in viris. Et certè idem ferri debet judicium de inflammatione uteri poſt partum, ac ante partum, aut etiam de inflammatione aliorum abdominis viſcerum; ut autem in inflammatione viſcerum abdominis & uteri ante partum Saphænam tunderet nemo prudens: * ita, & à fortiori, abſtinendum à Saphænæ ſectione in inflammatione uteri poſt partum, ſi, ut jam demonſtratum eſt, poſt partum quam ante, abundantiores depluant in uterum undique purpurei laticis ſcaturigines, turgeat uterus ampliori vaſorum omnis generis copiâ, accedatque nervorum ſpaſmodica contractio vehementior. Hanc doctrinam comprobat Hippocratis autoritas. * *At ſi mulieri anguſtum uterorum oſculum fuerit, neque puerperiorum purgationem demiſerint, inflammatione tentantur, quæ niſi brevi diligenter curetur, omnia eam magis affligent, & teter odor inde promanat, exituſque intumeſcit. Quod ſi uteri inflammatione tentati non fuerint, ſuapte ſponte malum exit graveolens, & lividum aut nigrum & grumoſum exiſtit, & mulier à puerperii purgamentis expurgatur, Interdum verò minimè exeunt: verùm id mulieri exitium portendit niſi quis celeriter* venam *incidat, aut ventrem emolliat* Per venam autem ſimpliciter intelligit Hippocrates brachialem, nam miſſionem ſanguinis è pede indicat per venæ ſectionem è malleolis. *

* *Sennert tom. 4, Chap. 13. Riverius lib. XV. cap. 7.*

* *Lib. 1. de morbis mulier.*

* *In lib. Hipp. comment. de phlebotomiâ Marinelli.*

V

LICET uteri inflammatio poſt partum Lochiorum cohibeat ut plurimum effluxus, & viciſſim Lochiorum ſuppreſſio utero minitetur phlogoſim, cautè tamen diſtinguenda venit uteri inflammatio à ſimplici Lochiorum retentione, illi ut noſcitura Saphænæ ſectio, ſic huic interdum profutura. Quæris rationem? In inflammatione uteri adeſt fibrarum eretiſmus, membranarumque tenſio; in ſimplici Lochiorum ſuppreſſione fit ſtaſis. Judicanda ſunt etiam tempora, ab initio morbi inflammationis uteri quò receſſeris

longiùs, eò tundes Saphænam minori cum discrimine. Habenda quoque ratio symptomatum ; si enim reflua in pulmonem Lochiorum vis pulmonem adoriatur, proximam seca venam ; si caput, remotiorem scindere aliquando præstat. At si verâ phlogosi tentetur uteri substantia, mitte sanguinem è superioribus venis citò & audacter : sunt tamen qui reclamant, mitti sanguinem jubent è malleolis, ut subita derivatione in partes affectas, ruptis vasorum obicibus, Lochiorum simul abrupiatur colluvies morbique fomes. Sic majores sub vanâ specie delusit error, ubicumque de morbis puerperarum agebatur sanguinis missionem è brachio exhorrebant. Cogi tamen Natura denegat, reduci se patitur aliquando. Qualiscumque sit primaria uteri inflammationis causa, tolle phlogosim, seda eretismum, compesce placidè evacuando è venâ remotiori, liquorum æstuantium tumultus ; remitte membrabranarum tensionem. Sic relaxatis, reseratisque omnibus ostiolis, fluent Lochiorum fontes liberrimi. Sic demum restituetur sibi uterus servatus in alteram progeniem & meliores eventus.

Ergò uteri inflammationi post partum, vena sectio è brachio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus Guyot,	*M. Franciscus Vandermonde.*	*M. Henricus Besnier.*
M. Tussanus-Gilbertus Boulland.	*M. Adrianus Malaval.*	*M. Joannes Besse, Dotariæ Hispaniarum Reginæ, à Conciliis, & Medicus Primarius.*
M. Gaspar Cochon du Puy.	*M. Jacobus-Albertus Hazon, Actûs Præses.*	*M. Antonius de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Prussiæ Socius, Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor ac Demonstrator.*

Proponebat Parisiis, BARTHOLOMÆUS MURRY, Laonensis Hibernus, Baccal. Medicus, A.R.S.H. 1736. à 6ª ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1736.